



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

90. Sabb. Septem anxietates perpetue B.V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

voluntate propriâ extinctâ divinam ample-  
ctitur, quibuscunque in casibus animo non  
affligetur: quia invito Deo nihil nec fieri,  
nec durare vel ad momentum potest.

*Conf. 3.* Causam mearum in adversis tri-  
stitiarum satis nunc videri: Si enim patiens  
essem, & voluntariè patiens, non tristarer:  
Quia omnis patiens lætus est: Quia, ut ait Na-  
zianz. in poëma: de virtute: *Patientia mole-  
stiarum est decoctio.*

MEDITATIO XC.

Sabbato Dom. 2. Quadragel.

*Septem anxietates perpetua B. Virginis.*

**A**spiciam Divam perpetuò moerentem, læ-  
titiâ tamen quadâm propter conformi-  
mitatem cum Deo mixtam, & quia videbat  
eum, qui nunquam peccavit ex tanta chari-  
tate pati. Petam agnoscere vim illarum an-  
xietatum.

*Conf. 1.* Quomodo affligebatur B. Virgo  
timore Domini, disponendo se ad fugiendû  
quidquid DEO minus placeret: licet enim  
omni vigilantia cogitationes ad Dei hono-  
rem ordinaret, timebat, tamen ne defectû  
committeret. Quid mihi agendum pecca-  
tori, non tot gratijs prævento?

2. Anxietas, quia scivit Christum passu-  
rum: unde crescebat in Matre dolor, sicut



148 *Sabbato Dom. 2. Quadrag.*

crescente rosâ acutior crescit spina, aut sicut  
mulier perpetuum sentit dolorem, qui tamen  
non est nisi in partu, aut sicut vires anima  
plus sentiunt viribus corporis.

3. *Anxietas*: quia ut agnus matrem, &  
contrario mater agnum, sic ipsa ovis agnum  
suum ubique sequebatur.

4. Quia immundis manibus raptabatur.

5. Crevit doloris vis, quando vidit maxil-  
las Christi ex magnis alapis rubicundas, &  
palescentes, ingemuit adhæc dolore gravis-  
simo.

6. Quia tam immaniter percussus, ut in-  
nocentissima caro & cutis tota esset intolerabi-  
liter lacerata.

7. Quia quantum sanguinis per totum  
corpus ex flagellatione Filij defluxit, tan-  
tum lacrymarum, hoc est, innumerabilium  
de virgineis oculis decurrebat.

MEDITATIO XCI.

*Dominica 3. Quadrag.*

*Causa lapsus Iudæ eadem, quæ Saulis.*

**V**idebo Judam sub nomine illius homi-  
nis, cujus novissima fiunt pejora priori-  
bus, quasi Furiam infernalem inter faces, &  
gladios, & fustes præcedentem. Petam agno-  
scere oculam tanti mali, eamque evitare, ne-  
sim de Iudæ posteris.

*Confite*